



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

Capvt VIII. De iniuriis & damnis in rebus spiritualibus, & necessaria  
restitutione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

nitentiam & restitutionem. Vide Ambrosium & Theophylactum in hunc locum.

48 Propositum restituendi tunc sit necessarium, pater; quia ad remissionem peccati, necessaria est contritio, vel saltem attritio cum Sacramento: hæc autem continent propositum restituendi, tum quia continent dolorem de peccato iniusta ablationis, in quo dolore continetur implicite propositum restituendi; tum quia continent propositum emendationis, & seruandi diuina præcepta, inter quæ est præceptum restituendi.

49 Petes, Quale est præceptum restitutionis, affirmatiuum, an negatiuum? Multi dicunt esse negatiuum; quia idem est dicere, *Restitue, &, Ne detine alienum*. Sed verius est, esse affirmatiuum. Primò, Quia præcipitur actus positius; in negatiuo solum præcipitur abstinentia ab aliquo opere positio. Nec obstat, quòd interdum videatur fieri restitutio sola cessatione detinendi: vt si deseras

domum vel agrum, quem vi occupasti: quia hæc cessatio eò dicitur, vt alter rem suam consequatur, fiatque æqualitas: & ita habet terminum positium. Vnde est instar actionis positivæ, qua impletur præceptum affirmatiuum. Secundo, Quia non obligat pro omni tempore, sed solum quando est opportunitas restituendi. Negatiuum autem obligat pro omni tempore. Illud autem præceptum, *Ne detine alienum*, in re potius est affirmatiuum, quam negatiuum; quia non potest seruari, nisi per actum positium; neque obligat pro omni tempore.

Aduerte tamen, præceptum restituendi, nasci ex præcepto negatiuo, *Non furtum facies*. Eiusdem enim rationis est furari, & detinere alienum, cum potes reddere. Vnde hoc ipso, quo præcipitur, *Non furaberis*, præcipitur etiam, *vt non detineas*, si potes reddere: & consequenter, *vt restituas*; quia actus restitutionis est necessarius ad non detinendum alienum.

## CAPVT SECVNDVM.

### De iniuriis & damnis in rebus spiritualibus, & necessaria restitutione.

Complectitur Dubitationes 3.

#### DVBITATIO PRIMA.

*Utrum is, qui priuat aliquem per iniuriam aliquo sensu, vel vsu rationis, philtro, veneno, vel alio modo, teneatur ad restitutionem.*

1 **S**OTVS lib. 4. q. 6. art. 3. in solut. 1. argumenti, & quidam alij putant pro his damnis præcisè consideratis esse faciendam restitutionem pecuniariam, arbitrio boni viri.

Resp. breuiter, Verius videri, talem non teneri ad restitutionem præcisè pro ipso damno sensuum, vel vsus rationis; sed tantum pro damno temporali, quod inde sequitur: vt si non possit eam artem vel functionem obire, quæ lucrum faciebat. colligitur ex Gomezio tom. 3. c. 6. num. 12. vbi probat, cicatricem & deformitatem ex iniuria remanentem, non posse aestimari à Iudice vel offenso; quia sicut liber homo nullam recipit aestimationem; ita nec cicatrix vel deformitas eius, quod expressè habetur L. fin. 7. de his qui deiecerint vel effuderint. Idem docet Nauar. c. 15. nu. 19. & 20. multiq; alij infra citandi. Ratio est, quia hæc damna nullo pretio sunt aestimabilia; sunt enim in bonis, quæ supremum locum inter bona humana tenent; nec quidquam est in hominum potestate, quod his censetur æquiualens: vnde per pecuniam non potest fieri compensatio. Itaque pro his factis est penitentia coram Deo, cum petitione veniæ pro iniuria illata, quando scitur auctor, sed de hoc infra cap. 9. Dubit. 23.

#### DVBITATIO II.

*Utrum is, qui alterum grauius læsit in bonis anime, pertrahendo ad peccatum, teneatur ad aliquam restitutionem.*

2 **R**esp. & Dico Primò, Qui alterum metu vel fraude pertraxit in peccatum, tenetur ex iustitia ipsum suæ libertati restituere, & vim fraudemque tollere, ne ille in posterum simili modo peccet. est communis sententia DD. Probatur; quia minari, aut vim inferre, est contra iustitiam, si sine iusta auctoritate fiat: quæ numquam iusta esse potest, dum quis ad peccatum cogitur. Similiter decipere alterum falsa doctrina circa fidem, mores, vel artes humanas. sicut enim quisque habet ius iustitiæ, ne ab alio lædatur in corpore; ita etiam ne in anima lædatur inuitus, errore: sed is, qui aliquid facit contra iustitiam, tenetur lege iustitiæ cessare, & quantum in se est, illud retractare, & irritum infectumque reddere: ergo ex iustitia tenetur vim tollere, minas remittere, fraudemque patefacere. Vnde non est verum, quod quidam docent, eum, qui fraude pertraxit aliquem in errorem, si ille error non verifetur in materia iustitiæ (v.g. circa contractum vel restitutionem) sed in materia

materia fidei, vel temperantia, non teneri errorem tollere lege iustitiae, sed solum lege illius virtutis, circa cuius materiam deceptus. Ratio illorum est; quia eodem praecipio, quo quis tenetur nihil contra aliquam virtutem sciens facere; eodem tenetur nihil contra illam suadere, aut docere: tam enim est contra rationem, malum scientem consulere, quam facere. Sed etsi haec ratio optime probet, eum, qui suadet fallum sciens, in materia fidei, vel temperantiae, peccare contra has virtutes; tamen non probat, eum non peccare etiam contra iustitiam. Nam etsi non inuitus & sine fraude induceret, peccaret contra has virtutes; ergo quando fraude vititur (id est, quando scit vel dubitat se male docere, vel consulere, & alterum ex simplicitate decipi inuitum) peccat contra iustitiam.

4  
Duplex  
malitia in  
coactione  
& in de-  
ceptione ad  
peccatum.

5  
Si volun-  
tariè de-  
ceptus.

Si aliunde  
veritatem  
recognoscit

Aduerte tamen, si quis putaretur non inuitus, sed voluntariè deceptus (quo modo multi iam ad haereses pertrahuntur auidi nouitatum, & auribus prurientes) non nasci obligationem ex Iustitia lege ad errorem dedocendum; sed tantum ex lege illius virtutis, contra quam fuit alteri auctor peccandi, & ex lege correptionis fraternae. Idem dicendum, si deceptus cognoscat aliunde veritatem; tunc enim deceptor non tenetur ex iustitia contrarium suadere. Ratio est; quia ablati error intellectus, ratione cuius deceptor censebatur causa operis mali: vnde si alter adhuc pergat in opere malo, non id facit ex ignorantia, sed propria malitia; ac proinde non potest imputari ei, qui ante deceperat. nisi forte varijs suasionibus animum ipsius inflexerit ad malum: tunc enim tenetur, si damnum tertio impendat, quantum in se est, suadere contrarium; quamuis ille sciat aliunde veritatem. Ratio est; quia non solum veritatis ignorantia, sed etiam tua suasio fuit inclinatus in malum: ergo nisi contrarium suaseris, censeberis adhuc causa operis, ratione effectus relicti in animo ipsius; nempe ratione inclinationis pravae, & propositi tua suasio excitati. Sed de hoc plura infra cap. 13. Dub. 3.

7 Dico Secundò, Qui tamen alterum pertraxit ad peccatum, siue prece vel pretio, siue vi vel fraude, non tenetur ex iustitia curare vt conuertatur; tenetur tamen ad id lege charitatis, idque magis quam alij. docet Sotus lib. 4. de Iustitia, q. 6. art. 3. ad primum. Sil. Restitutio 3. q. 1. Petrus Nauarr. cap. 2. n. 1. & alij recentiores. Videtur esse contra Scotum in 4. d. 15. quaest. 3. art. 1. & Adrianum q. de Restitut. §. Ex causa. & quosdam alios, qui sentire videntur, omnes istos, & etiam qui exemplo suo fuerunt alijs causa peccandi, teneri ex iustitia. sed rationes eorum solum probant teneri ex charitate.

Nō tenetur  
ex iustitia  
facere vt  
conuertatur.

Probatum Primò, De eo, qui pretio vel prece induxit, sine vi & fraude. Nam qui ita induxit, non abstulit aliquid ab inuito, cum iste inductus, sciens & prudens peccauerit; ergo non est ei illata iniuria.

8 Dices cum Adriano, Etiam si ille actu elicit non fuerit inuitus, (liberè enim consentit;) tamen actu secundum legem diuinam debito, fuit inuitus: (nam debebat ei displicere.) Sicut si quis te roget vt sibi manū abscindas, etli ipse sponte hoc damnum patiaris; tamen quia actu secundum legem debito paritur inuitus, peccas contra iustitiam.

Resp. Si sufficeret ad peccatum iniustitiae, vt quis actu debito sit inuitus, semper esset contra

iustitiam inducere alium ad quoduis peccatum; quia deberet ille inuitus induci & facere; id est, deberet nolle tibi obsequi. Vnde si alicui suauiter, vt pecuniam suam profunderet in lusum vel conuiuia, teneris ad restitutionem; quod nemo dixerit. Neque illa abscissio manus est iniuria in eum qui contentit, sed in Rempub. & Deum, qui non consentit; quia fit inuita Reptubl. Deoque nolente. Vt igitur ipsi non fiat iniuria, sufficit vt resp. non sit inuitus.

Ad iniuriam non sufficit, vt quis actu debito sit inuitus.

Secundò, Probatum generatim de omni eo, qui inductus est ad peccatum etiam vi & fraude, & scit se esse in peccato, & posse resurgere: quia nemo tenetur ex iustitia ad resarciendum damnum ei, qui censetur illud condonare; sed is qui a te inductus est in peccatum, postquam scit se esse in peccato, & posse ope diuina resurgere, & tamen non vult, censetur tibi damnum spirituale condonare; nam vult in eo permanere, & gratia amissam veluti ante oculos positam, non vult recuperare. Sicut si res ablata Petro, esset in eius conspectu, ita vt eam facile posset recuperare, & tamen nollet, censetur eam habere pro derelicto, & restitutionem condonare.

9  
Qui scit se esse in peccato, & vult permanere, censetur condonare.

Tertio, is qui fuit principalis & directa causa 10 damni spiritualis, non tenetur ex iustitia, nempe is qui fecit opus malum; eò quod is qui passus est, censetur condonare; nempe idem sibi ipsi: ergo nec is qui est causa remota, consilio, prece, vel etiam vi, tenetur, cum alter condonet.

Quòd tamen lege charitatis praeter ceteris tenetur, patet; quia aequitas postulat, vt is qui est auctor mali, praeter cetera laboret vt emendetur. & hoc bene probant argumenta Adriani. maius enim ille attulit nocuum, quam si abstulisset pecunias: imò multi peruertendo alios exemplo, consilio, vel praua doctrina, plus mali faciunt, quam tota vita omni diligentia sua poterunt compensare. Itaque aequitas postulat, vt omnem operam per se & alios nauent, vt illi emendentur. Puto tamen, hanc obligationem, quatenus praeter ceteris obligantur, non esse sub mortali, vt docet Nau. l. 5. consil. tit. 3. consil. 2. n. 4. Probatum iisdem rationibus, quibus ostensum est non esse contra iustitiam: charitas enim non obligat ad correptionem sub mortali, nisi in necessitate, quando etiam alij obligantur. vnde praeter ceteris non tenetur sub peccato mortali.

Teneri ex charitate.

Dico Tertio, Si is qui fraude inductus est in errorem, faciat opus malum, priusquam veritatem cognouerit, imputatur consultori qui deceptus: quamuis qui fecit, ob ignorantiam inculpam non peccat. Ratio est; quia consultori hoc opus est voluntarium, cum sciat esse prauum: ei autem qui facit, est prorsus inuoluntarium quia malum; quia omnino eius prauitatem ignorat. Vnde si est homicidium vel mutilatio, consultor irregularitatem incurret, non executor. Adeò verum illud Hesiodi, *Malum consilium consultori pessimum.* Vide 1. 2. q. 6. art. 3. & 8.

### DVBITATIO III.

*Vtrum is, qui auertit aliquem à Religione, quam volebat ingredi, vel ingressum extraxit, teneatur ad aliquam restitutionem.*

Dupliciter potest quis abduci à Religione. 1. Vi vel fraude. 2. Solis precibus aut suasionibus,

nibus. item potest esse quæstio de restitutione vel personæ, vel cõmodi temporalis. quibus notatis, Respondeo & Dico Primò, Qui nouitium sine vi & fraude extraxit, non tenetur ex iustitia Religionis aliquid restituere, etiam si malo animo fecerit, & grauissimè peccarit. Est contra Adrianum supra. Ita Sotus l. 4. de Iust. q. 6. art. 3. & Petrus Nauarr. l. 2. de Restitut. c. 2. nu. 15. Ratio est, quia Religionis non est facta propriè iniuria: nam ante votum acceptationem (quæ in alijs Religionibus fit in professione; in nostra verò, dum post biennium probationis, emittuntur vota simplicia Scholasticorum) Religio non habet ius ad personas, quamuis ipsa voto se astrinxissent, vt in votis realibus, & in omni promissione accidit. Hinc patet, illum etiam non teneri ad compensandum vtilitatem temporalem, quam Religio sperabat à nouitio; quia non habebat ius ad eam, nisi mediante libera voluntate nouitij, quam ille in sua libertate reliquit, dum nullam vim vel fraudem adhibuit.

in foro exteriori id ei iniungeret, quod signum est non teneri ex iustitia.

Dico Tertio, Qui nouitium vi vel fraude seduxit, auertitque à Religione profitenda, tenetur ex iustitia Monasterio compensare, quanti spes illa temporalis commodi, quod ex ipsius hereditate, donatione, vel industria expectabatur, valebat. Probatur generali ratione; Quia qui aliquem impedit vi, fraude, mendacio, metu, ne tibi relinquat legatum, hereditatem, aut ne tibi conferat beneficium, quod proposuerat conferre; tenetur tibi ad restitutionem, quanti illa spes, iudicio prudentum, æstimatur. Est enim tu non habes ius ad beneficium, vel legatum istud; habes tamen ius, ne alteri vis aut fraus fiat in tuum detrimentum: pari modo Religio ius habet, ne vi aut fraude eum, qui statuit ingredi, auertas. Vnde qui ita auertit, violat ius Religionis; ac proinde tenetur ad restitutionem damni consequentis, qua parte pretio illud est æstimabile.

Hic tamen aduerte, si restituit illum suæ libertati, fraudemque aperuit interea temporis, dum adhuc illi est integrum redire, probabile esse non amplius teneri: quia in posterum non censetur causa damni Monasterio; sed nouitius solus sponte non rediens. Idem dicendum, si nouitius ille fraudem aliquo modo aduertit: nam egressio tunc non fuit inuoluntaria. quòd si non amplius sit ei integrum redire, vt, si interim contraxit matrimonium, vel alia ratione impeditus est; tenebitur deceptor quanti spes illa Monasterij æstimabitur: quia censetur causa damni in posterum. Dixi, esse probabile; quia etiam si nouitio sit integrum redire; tamen si occasione fraudis vel vis illata muter ferriò animum, deceptor videtur causa damni; quia iniuste eius occasionem dedit.

Sed difficultas est, si quis professum seducat, maximè sine vi vel fraude. Quidam putant talem teneri ad restitutionem commodi temporalis, quamuis sine vi vel fraude abduxerit. Ratio est; quia Religio ius habet ad percipienda commoda temporalia ex eius functionibus; (vt si erat concionator, vel Doctor, à quo magnus prouentus, vel elemosyna) atqui hoc ius impeditur, qui suadet egressum: ergo peccat contra Iustitiam. Sed contrarium videtur verius; Vnde

Dico Quarto, Qui vi vel fraude abduxit à Religione professum, tenetur Monasterio compensare, quanti emolumentum temporale ex ipso professum abduci. Qui prouentus abduci.

Docent hoc quidam recetiores, inter quos Petrus Nau. supra n. 23. & Michael Salonijs q. 62. a. 2.

Prior pars patet; quia est efficax causa damni, modo iniusto; idque multò magis, quam qui nouitium abducit, qui enim professum vi vel fraude abducit, non potest id ita facere, vt non censetur velle nocere Religioni; cum ipse iam sit allicitus Religioni, & teneatur (saltem ex voto obedientiæ) pro Religione laborare, & habeat voluntatem laborandi; ex quo labore prouenit emolumentum, itaque censetur causa propinqua damni, idque modo iniurioso.

Hic tamen aduertendum est Primò, An reuera damnum sit acceptum: si enim ille tantumdem consumebar; vel si alius absque notabili incommodo in eius locum substitui potest; qui parem vtilitatem adferat, non est opus restitutione.

H Secundo,

12 Qui nouitium sine vi & fraude abduxit.

Ex decetia tenetur.

Qui vi vel fraude abduxit.

13

Non tenetur ingredi.

14

Obligatio Religionis ingrediendæ non potest nasci ex delictio.

Non ex iustitia alium inducere.

7

Secundò, Postquam Religiosus suæ libertati restitutus est, fraude detecta, vel vi laxata, abductorem non teneri in posterum; sed solum pro eo damno, quod datum est interim dum vis vel fraus durabat. Ratio est; quia in posterum non censetur causa damni, sed ipse Religiosus nolens redire.

18 Altera pars probatur; Quia Religiosus non tenetur ex Iustitia procurare illa emolumenta; sed *Religiosus non tenetur laborare ex Iustitia, sed ex virtute religionis.* solum ex virtute obedientiæ & religionis; vt docet Bannes q. 62. art. 2. dubit. 6. & alij. Vnde etsi non laborare, & commoda Monasterij conquirere, non peccat contra Iustitiam. Ergo is qui illi suadet absque vi & fraude vt non procuret, non peccat peccato iniuriæ in Monasterium, sed peccato irreligiositatis. Si enim ipse Religiosus non facit propriè iniuriam nolendo laborare, cum tamen sit principalis auctor damni; ergo neque consultor, cum solum teneatur secundariò.

Dices Primò, Iste facit iniuriam Religioni, dum suadet egressionem, & ex hac iniuria sequitur damnum: ergo tenetur de damno.

Resp. Primò, Non esse iniuriam, quæ sit contra Ius Iustitiæ, sed contra virtutem Religionis; cuius violatio non obligat ad restitutionem.

19 Resp. Secundo, & meliùs; Etsi sit iniuria in Religionem, suadere Religioso egressum; non tamen est iniuria suadere otium, vt illa commoda non procuret. Ac proinde suafor iste non tenetur ad illius damni vel incommodi satisfactionem.

Confirm. ex factò ipsius Religiosi; hic enim etsi faciat iniuriam Religioni egrediendo, & ex hac iniuria sequatur damnum; tamen ad compensationem damni illius non tenetur. Ratio est; quia etsi egredi sit iniuria; non tamen nolle procurare vtilitatem temporalem est iniuria, eò quòd non teneatur ad hoc ex Iustitia, sed solum ex obedientia. Vnde non omne damnum sequens ex iniuria obligat ad restitutionem; sed solum illud quod ita sequitur, vt per ipsam actionem

*Damnum per accidens ex iniuria sequens.*

iniuriosam inferatur; quòd hic non cernitur, quia quamuis suadere egressionem sit iniuria, quatenus est causa egressionis; non tamen respectu damni secuti, eò quòd hoc damnum immediatè ex libera voluntate Religiosi, non ex suafione illa dependeat.

Dices Secundò, Si quis seruo suaderet ne laboraret, teneretur ad restitutionem domino: similiter si seruo emptitio suaderet fugam, ergo etiam qui monacho suadet fugam vel otium.

20 Respondeo, Qui tali seruo suafit fugam, effectu secuto, tenetur ad æstimationem serui; in quam veniunt etiam commoda ab illo sperata. Ratio est; quia seruus est principaliter ad commodum domini: imò quatenus est vtilis ad temporalia, est possessio domini, sicut iumentum. Vnde si seipsum domino subtrahat, furtum sui committit, & tenetur ad sui restitutionem: vt supra cap. 4. Dubit. 9. dictum est. Secus est in Religioso, quia Religiosus non est principaliter propter commodum temporale Prælati, vel Religionis; sed ob suum bonum spirituale: propter hoc enim se Religioni sponte mancipauit. vnde non possidetur à Prælato tamquam seruus; sed subest tamquam filius in suum commodum, vt ad suam salutem rectè dirigatur. Quòd si quis seruo suaderet, non quidem fugam, sed otium & cessationem ab operibus iniunctis; etsi grauius peccaret, non videretur tamen peccare contra iustitiam, nec teneri ad restitutionem: quia nec ipse seruus dedens se otio videtur contra iustitiam peccare; sed contra obedientiam domino suo debitam. Non enim actiones serui sunt debitæ domino lege Iustitiæ, sicut mercenarij, qui pretium pro illis accipit: nec cogitur in foro conscientiæ compensare, etsi negligentius laborauit: sed eo Iure debentur, quo seruus tenetur obedire domino. Itaque cum principalis auctor & executor non teneatur; etiam non tenebitur suafor. Posset tamen talis tamquam corruptor serui puniri.

*Suadens seruo otium.*

## CAPVT NONVM.

De iniuriis in corpus proximi per homicidium vel mutilationem, & de necessaria restitutione.

Habet Dubitationes 26.

### DUBITATIO PRIMA.

Vtrum liceat occidere aliquid viuens. D. Thomas q. 64. art. 1.

1 *Manichæorum error.*



RESPONDETUR affirmatiuè. Notandum, Manichæos negasse animantia aut plantas interimiri posse; quòd omnes animas putarent esse quasdam Dei particulas, vt refert D. August. lib. 1. de Ciuitate, cap. 20. & lib. de hæres. cap. 46. Sed fide tenendum est, homines in suos vsus animantia & plantas posse interimere. Probatur Genes. 1. *Eccededi vobis omnem herbam adferentem semen super*

*terram, vt sit vobis in escam.* & Gen. 9. post diluuium conceduntur animantia, & omnia viuientia in cibum. 1. ad Corinth. 10. *Quidquid venit in macellum, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Denique ipse Dominus manducauit agnum Paschalem, quem antea oportuit occidere. Idem definitum est in Concilio Bracarenfi 1. c. 14. vbi hæc hæresis damnatur. Ratio est, quia homo naturaliter est dominus omnium rerum inferiorum, iuxta illud Gen. 1. *Dominamini piscibus maris,*

& 20-